



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XVI. Vtrùm benigna sententia, si concedatur esse vera, sit utilis ad
conscientiam in particulari licitè formandam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUÆSTIO DECIMA- SEXTA.

Virum benigna sententiæ, si concedatur esse vera, sit utilis ad conscientiam in particulari licitè formandam?

Celladeus
minùs clare
quæstionē
proponit.



1. **C**ELLADEUS, qui omnia verfat, ut benignam sententiā evertat *lib. 1. quæst. 9.* contendit probare, praxim probabilium non posse defendi ut licitam; quamvis supponamus, licitum cuique esse sequi quamvis opinionem certè, practicè probabilem, in sensu quo communis gravissimorum Auctorum consensus tradit id esse licitum. Ille quidem proponit quæstionem in terminis, sub quibus nos illam non defendimus; ait enim, praxim aliquorum, quaslibet librorum opiniones lectantiam, non posse convinci licitam; quamvis concedamus, usum cujusvis opinionis probabilis licitum esse; & totus videtur in hoc tantum impugnando, in quo nullam famosum Auctorem habet sibi contrarium. Verùm quia ita discurret, ac si aliud non prætenderet, quam persuadere effectum illud, *usus cujusvis opinionis probabilis est licitus*, etsi admittatur ut verum, sicut est verissimum; parvam aut nullam utilitatem afferre ad debitè formandam conscientiam: ideo ne quis ex modo, quo quæstionem proponit ac confirmat, arbitretur benignam sententiā esse inutilem, quamvis concedatur esse vera, operæ pretium erit disertè in hac quæstione ostendere effectum illud: *usus cujusvis opinionis certè practicè probabilis est licitus*: si admittatur esse verum, esse utilissimum ad formandam conscientiam, eademque occasione evincere, benignam sententiā, quoad totam suam universalitatem & praxim, esse evidentè veram, si veritas illius propositionis admittatur. Sic ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Hæc propositio, usus cujusvis opinionis certè practicè probabilis est licitus, si sit & admittatur esse vera, est utilis, ex mente Auctorum illam tradentium, ad conscientiam debitè dirigendam.

Opinio benigna, si sit vera, utilis est ad formandam conscientiam ex mente Auctorum.

2. **P**ROBATUR. Qui docent illam propositionem, eam tradunt pro regula universali, per quam omnes facile dirigi possint ad formandam conscientiam in rebus, circa quas diversæ sunt Auctorum sententiæ. Hoc enim ipsi expressè prætendunt, & ad hunc finem assertionem illam tam diligenter stabiliunt. Ergo omnes credunt, illam ad finem intentum esse utilem, alioquin omnes frustra & stultè laborassent, proponendo media ut utilia, quæ credidissent esse inepta ad finem obtinendum. Ergo opinio benigna ex mente Auctorum illam tradentium est utilis & commoda ad conscientiam ritè formandam.

ASSERTIO II.

Eadem propositio, si sit vera, est utilissima ad conscientiam debitè formandam.

3. **P**ROBATUR. Admissâ illâ propositione, facile formari possunt innumeri syllogismi legitimi, quorum conclusiones evidentè ostendunt, quamnam particulare opinionem sint licitæ. Ergo illa propositio est utilissima ad debitè formandam conscientiam. Tenet consequentia, quia nil utilius est ad debitè formandam conscientiam, quàm regula, quâ in casibus innumeris illa facile dirigitur ad formandum iudicium practicum verum de honestate operationis. Probatür antecedens. De omnibus & singulis opinionibus, quæ sunt certè probabiles juxta mentem doctentium, usum quarumvis opinionum practicè probabilium esse licitum, facile formari potest hic syllogismus: *Vsus cujusvis opinionis certè probabilis est licitus: sed hæc opinio est certè probabilis: ergo hujus opinionis usus est licitus.* At obvix sunt innumere opinionem certè probabiles, juxta mentem illorum Auctorum, ut mox probabo. Ergo innumeri hujusmodi syllogismi facile formari possunt, stante veritate illius propositionis. In toto discursu nulla est difficultas nisi in minore, quæ dicit, innumeras dari opiniones certè probabiles juxta mentem illorum Auctorum, illasque esse obvix: quare minor illa demonstratur. In primis, omnes asserunt opinionem, in qua omnes consentiunt, esse probabilem in sensu quem intendunt. At multæ sunt opiniones, in quibus omnes conveniunt. Talis est opinio dicens, possessorem bonæ fidei licitè retinere rem, de qua dubitat, an ad alium spectet, donec veritas investigetur; quodque si, post debitam diligentiam, veritas inveniri non possit, sed rationes, aut æquales aut majores favent possessori, possessor liberè uti possit re illa, &c. hic casus est valdè practicus, & frequentissimè obvius. Rursus talis est opinio dicens, hominem scrupulosum, si Deum timeat, ac à peccatis manifestis maximè abhorreat, licitè sequi posse consilium sui Confessarii, qui habetur peritus & probus, quodque melius faciat obedientiæ cæcæ illi obediendo, quàm rem ulterius investigando, &c. Et ne super sit difficultas scrupuloso an sit scrupulosus, & consequenter an possit uti privilegio hujus sententiæ, dant signa evidentia, ex quibus cognosci possit an sit scrupulosus, & ulterius pergunt, ac dicunt, eum debere se reputare scrupulosum, si peritus & probus Confessarius, cui conscientia ejus aperta est, judicet illum esse scrupulosum, & scrupulosorum regulis dirigendum.

Plurimæ sunt opinionem ex mente Auctorum certè probabiles.

Prima pro-babilium classis.

Simili-

ASSERTIO III.

Si eadem propositio admittatur esse vera, certum est, praxim benignae sententiae, quoad omnem usum à nobis assertum, esse licitam.

Similiter omnes consentiunt, quod rudes in rebus dubiis turd stare possint directioni probi ac periti Confessarii. Ecce maxima pars hominum certò scire potest, quoniam sint opiniones probabiles juxta mentem illorum Auctorum, & consequenter in omnibus fermè suis dubiis certò scire, se juxta mentem illorum conscientiam formare. Nec desunt aliæ plurimæ opinionum ejusmodi, quæ valdè universales sunt, & plurimis aut etiam omnibus deserviunt.

4. Secundò, omnes docent, opiniones illas esse probabiles, quæ inter Theologos & juris peritos sunt communes, adeo ut plurimi gravissimique pro illis stent, etiam postquam examina- runt rationes, in quibus ad versa pars fundatur. Atqui innumeræ sunt ejusmodi sententiæ eviden- ter communes in scholis & foro. Ergo innume- ræ sunt evidenter probabiles in sensu Auctorum illorum. Ergo sunt innumeræ, quæ ex proposi- tione illa admittuntur conclusuntur evidenter licitæ. Quod dictum est de opinione communi, à forti- ori valet de opinione communiori, sunt autem plurimæ tales, & quidem nonnullæ sunt commu- nissimæ, ita ut valdè pauci contrarium teneant, quos in numero opinionum certò probabilitium involvi certissimum est.

5. Tertio, quoties fermo est de opinione non adeo communi, ut de re particulari, quæ non- dum in disceptationem multorum venit, Aucto- res illi dant regulas, ex quibus scire possimus, quoniam opinio juxta mentem ipsorum haberi debeat probabilis. Jam licet aliqua diversitas re- periat quoad hoc inter aliquos, tamen pauci sunt qui ab aliis discrepant, & in hoc solum dif- ferunt, quod doctrinam aliorum ad plura ex- tendant quam ipsi. Si ergo doctrina in sensu stri- ctiori sumatur, omnes omnino conveniunt, pro- positiones talibus circumstantiis affectas, esse probabiles. At innumeræ eæque obviae sunt pro- positiones, quibus dicitur illæ circumstantiæ evi- denter conveniunt. Ergo illæ sunt certò proba- biles in sensu Auctorum illorum. Ergo omnes illæ sunt certò licitæ in hypothesi assertionis.

6. Demum omnes fermè dant definitionem opinionis probabilis, aut si qui propriam non dant, eam juxta communem aliorum explicatio- nem intelligunt. Sumptâ ergo rigorosissimâ opi- nionis probabilis explicatione, in qua omnes con- veniunt, toties licebit ullam opinionem sequi, quoties evidens est, illam esse probabilem in sensu dicto, undecunque illa evidentia habeatur. Atqui sæpissimè talis evidentia habetur, & sæpè quidem valdè faciliter, ut evidens est percurrenti quæst. 2. 5. & 6. de Consci. prob. ubi fusè de hac materia actum est. Et quidem ne dubium hac de re superesse possit, Auctores illi distinxerunt opi- nionem probabilem in intrinsecè & extrinsecè talem. Pro utraque discernendâ regulas faciles & obvias præscripserunt, & quomodo ac quando pro conscientia debite formanda sufficiat, fusè explicarunt. Sed & peculiare pro doctis, pecu- liare etiam pro rudibus regulas præscripserunt, ut nil clarius esse possit, quam quomodo certi possimus esse, nos sequi opinionem probabilem in sensu ipsorum. Qui legerit citatas quæstiones in tractatu meo de Conscientia probabilis, horum omnium veritatem perspiciet.

7. **P**ROBATUR. Tunc universalis praxis sen- tentiæ benignæ, à nobis asserta, est certò licita, quando omnis praxis ab illa asserta est con- clusio legitime deducta à præmissis veris & certis. Sed omnis praxis benignæ sententiæ à nobis as-serta est hujusmodi. Ergo est certò licita. Pro- batur minor: Nos solum asserimus, praxim illius esse licitam, quando sequimur opinionem certò probabilem, sumendo opinionem probabilem juxta indubitatum sensum Auctorum illius sen- tentiæ. At quoties certum est, opinionem pec- ciliarem esse probabilem in eo sensu, toties syl- logismus ille: *Vsus cujusvis opinionis certò probabilis est licitus: sed opinio hæc est certò probabilis: ergo illius usus est licitus: debite formatur.* Conclusio autem hujus syllogismi deducitur ex majore vera, & minore evidenti. Ergo conclusio illa, veritate majoris admittitur, est certò vera. Ergo nos solum asserimus, praxim benignæ sententiæ esse lici- tam, quando illa est conclusio legitime deducta à præmissis veris, quarum altera supponitur ve- ra, altera certa est & evidens. Sanè si hoc nobis concedatur, habemus intentum, nec aliud in hac quæstione intendimus, aut quærimus. Ergo si major illa concedatur esse vera, certum est, uni- versalem benignæ sententiæ praxim, à nobis as- sertam, esse licitam.

lisdem da- tis, usus be- nignæ sen- tentiæ est certò lici- tus.

PRIMA CELLA DEI OBJECTIO.

8. **O**BJICIT primò. Plures absque delectu promiscuè accipiant quoslibet libros mo- rales, saltem non prohibitos, supponuntque om- nes eorum opiniones, saltem non notatas, esse probabiles. Deinde subsumunt, ex mente gra- vissimorum Auctorum licere quodlibet probabi- le. Unde concludunt, licere omnia, quæ in libris inveniunt, saltem non notata. Verum hæc assertio est prorsus absurda, & contra mentem Auctorum dicentium, quælibet probabilia esse licita. Omnes enim, qui expressè docuerunt, licitum esse sequi opiniones, etiam minus tutas minusque probabiles, disertè dixerunt, se per probabile intelligere opinionem fundamento gra- vi, seu rationi magni ponderis innixam. At illi nunquam dixerunt, libros omnes, & omnes Summas casuum non prohibitas esse graves, om- nesque opiniones in eis coacervatas niti rationi- bus magni momenti. Imo nunquam dixerunt, omnes opiniones Doctoris gravissimi fundamen- to gravi corroborari, nihilque inconsideratus aut levius ex eorum calamis excidisse. Sed neque hoc dicere potuerunt, nisi singuli omnes ejusmodi libros exactissimè trutinassent. At nec ipsi dicunt, se hoc fecisse, nec credibile est id à singulis esse præstitum. Præterea quidquid diligentæ adhi- buerint in evolvendis libris tunc editis, certè affirmare non poterant de libris edendis, nullum eorum fore quoad aliqua saltem levem, superfi- cialem, indoctum, ac sophisticum, sed omnes quoad omnia omnino gravi fundamento corro- borandos. Loquuntur tamen universaliter, ut patet. Ergo nullus illorum Auctorum dixit, omnes

Non omnia opiniones in libris sunt probabiles.

Secunda classis probabilitium.

Tertia probabilitium classis.

Ultima probabilitium dis- cernendorum regula.

omnes librorum non prohibitorum opiniones non taxatas esse probabiles; & consequenter modus ille philosophandi, quo recentiores utuntur, dicentes: *Hæc opinio in libro est, Auctores habet unum, duos, vel etiam plures. Ergo probabilis est probabilitate conscientia, ac tuta & sana*: ab illorum mentibus longissimè abfuit.

Doctores aliquando turbatim eunt in aliquam sententiam.

9. Quid plura? Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 4. nu. 13. negare videtur, turbam etiam Doctorum aliquando sufficere ad probabile. Joannes Sancius disp. 29. num. 7. citat plures dicentes, aliquam turbam Doctorum sequi sententiam aliquam sine delectu rationum. Thomas Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 9. & lib. 4. de matrim. disp. 44. Granadus 1. 2. contr. 2. tract. 12. disp. 12. aliique excludunt à probabilitate conscientia omnes (quos supponunt dari) qui instar ovium & avium sequuntur aliorum vestigia. Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 2. nu. 6. ait, opinionem non debere censi magis communem, quando Doctores eam turbatim & sine delectu sequuntur. Supponit ergo dari homines, turbatim & sine delectu alios sequentes. Itaque praxis illa proponendi opinionem aliquam ut tuta, eò quod in libro vel Auctore aliquo vel aliquibus reperitur, nullius cordati hominis aut gravis Auctoris auctoritate fundatur.

Vasquez dicit multas opiniones carere gravi fundamento.

10. Præterea Vasquez 1. 2. disp. 2. cap. 5. nu. 22. duabus Caietani & Navari sententiis probatis, sic ait. *Ego tam doctrinam Caietani, quam Navari existimo esse sine fundamento. Rursus num. 25. Quod verò dicebat Caietanus parum habet momenti. Deinde num. 31. ad quandam rationem Cordubæ Auctoris Doctissimi, ait, planè ostenditur, quam parvi ea momenti sit. Similia sæpe dicit de aliorum dictis & sententiis per omnia sua volumina. Nec dubium, quin alii similia sentiant, etsi in aliorum opinionibus notandis cautiore extiterint. Sed & alii non dissimilia de aliquibus à Vasquez dictis enuntiant. Jam opiniones istæ, ex mente Vasquii, non nitentur fundamento gravi. Ergo ex mente illius non erant probabiles, saltem in eo sensu, in quo loquitur, dum dicit, nos tunc sequi posse probabilia.*

Omnes in hoc Vasquii consensunt.

11. Nec Vasquez tantum, sed omnes omnino idem sentiunt, quia omnes fatentur, opiniones olim probabiles, & à gravibus Auctoribus assertas, evasisse improbables. Hoc factum est ostendendo, Auctores illos graves vel non vidisse rationes, quibus posterius moti sunt, vel sine fundamento loquutos. Ergo sicut antiqui potuerunt, ita etiam recentiores hallucinationem pati possunt. At non licet sequi opinionem Auctorum, quando aut sine fundamento, aut non omnibus visis, aut manifestè falsè opinati sunt. Ergo illa assumptio. *Hæc opinio in libro est, Auctorem, vel Auctores habet, etiam graves. Ergo ad conscientiam sufficit, non est Vasquii, nec ullius gravis Auctoris, qui probabilitates pro conscientia approbant, sed prorsus contrariatur menti ac dictis ipsorum. Ergo tuti non sunt, qui hac praxi utuntur, quam in nullius gravis Auctoris auctoritatem possunt resolvere. Ita Celladeus tota §. 1. & 2. qui in fine conatur causam reddere, cur Theologi hac in re æquivocationem passi sint; dicit autem, causam esse, quod probabile æquivocè dicatur, quodque probabile opinionibus datum non sit probabile conscientia. Probabile conscientia requirit grave fundamentum; sed ad probabile opinionibus dari solitum sæpe plus juvat consuetum, quam fundamentum; & ad idem conducunt Auctoris honor, tolerantia superiorum, & alia similia. Certè Vasquez non dixit, prædictas Caietani,*

Navari, & Cordubæ opiniones esse improbabiles, nec hoc sæpe sine magna offensione dici potest; tamen dixit, eas carere fundamento gravi. Ergo Vasquez exercitè distinguit suum probabile conscientia ab eo probabilitatis genere, quo vitandæ offensionis causâ opiniones improbabiles dicere non solemus. Nec exercitè tantum, sed signatè satis expressit hanc probabilitatis distinctionem num. 17. dicendo, *Non mihi videtur illa censenda probabilis ad hunc effectum, ut secundum illam pessimè prudenter operari contra propriam & communem omnium sententiam. Ergo supponit, eam censi probabilem ad alium effectum, puta ad non censurandum. Ita Celladeus, cujus sententiam propriis quantum potui verbis breviter expressi.*

SOLVITUR OBJECTIO,

Et error Celladei circa mentem Vasquii refutatur.

12. **R**ESPONDEO, objectionem non tan- gere nostram communemque sententiam. Illa enim solum docet, licitum esse cuique sequi opinionem minus tutam, quando certò constat, illam esse probabilem, quod frequentissimè ac facillimè constat, uti demonstratum est. Certè Auctores benignæ sententia nunquam dixerunt vel somniarunt, omnes omnium Auctorum præsentium aut futurorum opiniones, à superioribus Ecclesiæ non taxatas, esse ac manere probabiles, donec taxentur; sed è contra omnes aut supponunt, aut expressè docent, multas antiquorum opiniones, olim probabiles, esse jam antiquatas, ac evasisse improbabiles, idemque de præsentibus ac futuris Auctorum sententiis evenire posse censent, cum eadem de omnibus sit ratio. Videantur, quæ hæc de re dixi in tract. de Consc. prob. quæst. 6. assert. 9. & 10. à num. 23. usque ad 26. Ubi etiam ad hoc elucidandum attuli atque ponderavi penultimam ex propositionibus, quas Alexander VII. damnavit, anno 1665. 24. Septembris, quæ sic se habet, *Si liber sit aliquis junioris & moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constat, eam rejectam esse à sede Apostolica tanquam improbabilem.* Itaque nos omnes lumme improbamus praxim eorum, siqui tales sint, qui promissivè proponunt omnes opiniones, quas in libris non notatis inveniunt, tanquam probabiles, atque ad conscientiam debitè formandam sufficientes, cum pro certò habeamus, id non solum absque fundamento fieri, sed expressè contrariari menti ac assertis Auctorum, qui benignam sententiam tradunt. Nec Celladeus hoc ipsum ignorat, cum expressè fateatur, id esse contra mentem talium Auctorum. Unde non erat, cur ista objiceret, nisi ut desereret suum intentum, cum ista benignam sententiam, ipso fatente, non tangant.

Ufus probabilis opinionum in libris cõsentorum non est licitus.

13. Itaque libenter admitto, quæ ex Vasquez Opinio non aliisque profert; sed majoris claritatis causâ ipsa dicitur cõsentorum verba juvat apponere. Sic ergo loquitur Vasquez. *Negare non possumus, turbam Doctorum aliquando amplecti unam opinionem absque delectu rationum, aut saltem non tam exactè rationibus ponderatis, contra quos deinde alius Doctor magna auctoritatis aliquam opinionem maturè excogitatam in scholas introducere potest. Hæc Vasquez, cui addo Thomam Sanchez, qui clariùs loquitur lib. 4. de matrimonio disp. 44. nu. 2. ubi hæc habet. *Miror profectò tot tam graves, Auctores levibus immitentes**

rentes fundamentis hoc adstruere. Quare ab illis omnino recedendum est, nam ut dicitur leg. 1. §. sed neque, Cod. de veteri iure enucleando, non è multitudine Auctorum, quod melius & æquius est iudicari debet. Item quia ut ait Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 71. num. 391. non dicitur communis opinio, quæ plures Doctores eam asserentes habet, nullâ disputatione præmissâ, sed perfunctoriè, & ut aiunt, per transennam illam sequentes. Quod idem ait Alciat. de præf. reg. 1. præsumpt. 15. num. 15. & optimè Navarro Sum. lat. cap. 27. num. 289. ait communiorem existimari opinionem approbatam à sex Doctoribus ex professo rem tractantibus, quam à 50. solâ fere priorum auctoritate ductis. Quibus adde Ioan. Lupum cap. per vestras, de donatione inter virum ex uxorem, notab. 3. §. 20. num. 12. dicentem, non esse credendum Doctoribus quantacunque doctrinâ polleant, dum caret fundamento. Hæc Sanchez. His nos etiam subscribimus, & ultrò fatemur, multitudinem Doctorum, qui perfunctoriè, & per transennam, nulla disputatione præmissâ, aliquid affirmant, non efficere opinionem communem, licet unanimiter in eam conspirent. Similiter solus illorum consensus non sufficit ad reddendam assertio-nem probabilem, ne quidem extrinsecè, quando, qui rem à fundamentis examinant. non solùm asserunt contrarium esse verum, sed etiam dicunt Auctores illos omni gravi fundamento caruisse, vel quia rem non bene examinarunt, vel quia ex ignorantia aut inadvertentia alicujus principii illam tradiderunt; statim enim ac hujusmodi ignorantia detecta fuit, cessat probabilitas, quæ in illa fundamentum habebat. Cæterum nulla est opinio communis, quam Auctores hinc inde examinarunt, & visis rationibus, quæ utrimque se oppugnant, adhuc defendunt, quæ non sit certò probabilis, quamvis in hoc etiam casu aliquando contingat, plures absque delectu uni parti turmatim subscribere, vel quia peculiaribus institutis ad illud tenendum obligantur, vel quia in aliorum, qui sedulo rem examinarunt, dicto fundamentum suum constituunt, eò quod certissimum illis sit, sententiam istam probabilem esse, atque turò doceri posse. Verùm accessus plurium sic opinantium parum vel nihil auget probabilitatem dictæ sententiæ, ut patet. Et quidem quoties viri graves, magna probitatis & peritæ fama celebres, novis magni momenti rationibus contra communem sententiam insurgunt, illamque improbabilitatis arguunt, illa per hoc ipsum quoad nos perdit probabilitatem suam, nec illam recuperare potest, donec novæ illæ rationes examinata fuerint, illi que non obstantibus, Auctores adhuc in priori communi que sententia persistunt, tunc enim sententia communis suam probabilitatem quoad nos recuperat. Hæc omnia, & alia plurima ad hæc spectantia, fusè exposita fuerunt in primis sex quaestionibus de Conf. prob. quæ prorsus coincidunt cum eis, quæ Vasquez Sanchez aliique tradunt.

14. Cæterum, quamvis doctrina in hac objectione contenta placeat, quia vera est, duo tamen in illa displicent. Inprimis Celladeo ita loquitur, ac si valde multi Summistæ absque ullo delectu coacervassent opiniones, easque tanquam sufficientes pro regulanda conscientia proposuissent, quamvis opiniones illæ non essent probabiles juxta sensum Auctorum doctentium, usum probabilium esse licitum. Hoc tamen verum non est, nam ex celebrioribus Summistis neminem inveniet, qui opiniones absque delectu con-gesserit; nam paucæ omnino opiniones in ullo Summi-

sta reperientur, quæ in hoc sensu non essent probabiles, quando Author librum edidit. Quod hoc sit ita, nec mihi credendum est, quia hoc asserto; nec Celladeo, quia id negat. Ego plura dixi quæst. 2. §. 6. de Conf. prob. ex quibus hoc clarissimè deducitur. Itaque generalis illa Celladei locutio est nimis invidiosa, cum plurimos innocios taxare, atque in eos temeritatem non ferendam conjicere videatur. Hos ut ego hac nota liberem, peto, imo à Celladeo exigo, ut proferrat, si possit, tres vel quatuor, etiam ex laxissimis ac minus peritis Summistis, (supponit enim esse plures hujusmodi) qui pro securo opinio-num delectu hanc regulam tradant. Hæc opinio in libro est, Auctorem habet unum vel duos. Ergo turò eligitur, & ad conscientiam debet formandam sufficit. Hos cum quaesierit & non invenerit, & ne quidem unum assignare poterit, qui in illa generalitate absque multis limitationibus similia dicat, discat imaginationi suæ non fidere, illamque tanquam regulam à Summistis communiter in praxi servatam, imperito lectori venditare, ut sic gravium virorum, sub generali Summistarum nomine comprehensorum, auctoritatem elevet, suæque singulæ sententiæ, nullam fidem merenti, fidem conciliet. Viri probi & docti non sunt communiter tam laxi, quam arbitraris, Celladee. Teneris in re tam gravi dicta tua verificare; provoco ut facias, nec exculatum te puta, eò quod, ut hic insinuas, id absque offensione facere nequeas. Nemo est, qui suam sententiam riè propositam negaturus sit; nemo illius impugnationem agrè laturus. Si ergo propositionem illam apud ullos invenias, audacter profer illam, cita Auctorem locumque; & nec ille, nec quisquam id agrè feret, sed omnes illam impugnari libenter patientur. At nunc omnibus notam injuris non ferendam. De multis loqueris; praxim, quæ communem sonat usum, nominas; neminem excipis; unde nemo est, qui aliquo modo à nota ista non taxetur. Hoc majoris offensionis est, quam cujusvis Auctoris sententiam sincerè proponere, & validis argumentis impugnare. Dicam ergò, quid sit. Visum est tibi, Auctores absque delectu opiniones colligere, atque ita se gerere, ac si propositionem citatam pro axioma haberent. Tu labori pepercisti, sine quo veritatem hanc investigare non poteras; unde ut indigentiam hanc tuam honestares, sub generalibus terminis defectum merè imaginarium tanquam verum proposuisti, simulque putasti te tutum fore, si prostereris, te Auctores illos vitandæ offensionis gratiâ non citare, cum illos citare non posses, & si potuisses, vitandæ offensionis gratiâ debuisses; id enim iustè offensionis non fuisset, hoc verò est, quia illam propositionem ac praxim sub generali loquatione multis attribuis, qui illam, non minus quam tu, averfantur.

15. Alterum quod displicet est, Celladeum falso supponere, quamplurimos Theologos hac in re æquivocationem passos esse, eò quod probabile in uno eodemque sensu acceperint; cum æquivoce dicatur. Ex hac enim falsa suppositione insinuare conatur, multò plus requiri ad probabile pro conscientia & pro praxi, quam pro probabili speculativè, & communiter dicto. Et quod plus est persuadere conatur hanc esse expressam Vasquæ mentem, cum tamen certum sit, Vasquem hæc ipsa disputatione 62. expressè docere, eandem probabilitatem sufficere pro praxi, quæ pro speculatione sufficit. Hoc ut intelligas, sciens-

Probate nequit, quod contra illos objicit.

Vasquez expressè tenet eandem probabilitatem sufficere pro praxi, quæ sufficit pro speculatione.

Omnis opinio communis p. s. t. omnia utrimque inspecta est probabilia.

Celladeus generaliter condemnat Summistas non sine offensione loquitur.

dum est, Vasquem *disputatione illa 62. cap. 4. ex* professo probare, Doctorem peritum licitè posse operari contra propriam sententiam, sectando minus tutam aliorum opinionem, quam suo iudicio minus probabilem reputat; idque verum esse asserit, etiam in sensu composito, seu, ut ait num. 15. in initio, *retenta propria opinione ut probabiliori, & assensu illius per intrinseca principia, modo per extrinseca principia existimet vir doctus, contrariam opinionem esse probabilem in universum consideratam, formetque sibi iudicium singulare, quo iudicet licitum esse sibi sic operari.* Hoc modo suam sententiam Vasquez proponit, eamque mox probat his verbis. *Hæc sententia sic intellecta probatur 1. nam hoc ipso quod opinio aliqua probabilis est, sicut absque ulla nota possumus illam speculative amplecti & defendere, sic etiam sanè conscientia possumus secundùm eam operari.* Ecce Vasquez expressè docet, eandem rationem sufficere pro praxi opinionis, quæ pro eadem absque nota temeritatis defendenda sufficit. Imo Vasquez vult hoc sufficere, etsi opinio illa per intrinseca principia non appareat probabilis, modò ob auctoritatem extrinsecam præsumere possim, opinionem illam meritò cenleri probabilem; in quo largiùs loquitur quàm plures alii, quò supponunt, opinionem, suæ contrariam, debere esse & apparere intrinsecè probabilem, ut quis, contra propriam sententiam, illam sectetur.

Autores
nunc non
equivocè
accipiunt
probabile.

16. Præterea aliunde etiam certum est, tam Vasquem, quàm alios omnes nullam diversitatem ponere inter probabilitatem, quæ ad speculativè, & quæ ad practicè opinandum requiritur. Vasquez quidem num. 14. per aliud non discernit & discriminat motivum grave à levi & temerario, quàm per prudentis arbitrium. Ecce Vasquez illud habet pro gravi fundamento (in quo probabilitatem pro praxi sufficientem expressè collocat) quod post maturam considerationem tale creditur. Unde vult hoc viro perito sufficere, ut contra propriam sententiam operetur, etiam quando per intrinseca principia reputare non potest, oppositam opinionem esse probabilem; modò ob aliorum auctoritatem præsumere possit, illos non sine maturo fundamento suam sententiam stabilivisse. Vasquez in hoc omnes consentiant. Omnes enim definiunt probabile in communi, prout à speculativo & pratico præscindit, dicuntque illud esse probabile, quod nititur fundamento obscuro quidem & fallibili, sed verè magno, seu tali, quod omnibus inspectis aptum est inducere hominem peritum debitè discurrentem ad illi assentiendum. Qui ex motivo minori iudicium fert, temerè opinatur, sive in speculativis, sive in practicis versetur. Qui verò tanto fundamento utitur, non temerè, sed probabiliter & prudenter iudicat, in quacumque tandem materia versetur. Rursus Auctores benignæ sententiæ, quando de practicis & moralibus agunt, nullam novam probabilitatis definitionem afferunt. Ergo aliud pro iudicio probabili in moralibus non requirunt, quàm ut nitatur fundamento, cui non temerè, sed prudenter assensum præbeamus. Errat ergo Celladeus; & absque sufficienti fundamento loquitur, quicumque contrarium affirmat. Differunt quidem probabilia practica à speculativis, non tamen ratione probabilitatis & merito fundamenti, sed solùm ratione materiæ; nam ea solùm vocamus practicè probabilia, quæ de honesto vel inhonesto enuntiant. Reliqua omnia speculative probabilia nuncupamus. Quod hæc & illa simili fundamento nitantur, im-

possibile est hæc esse, illa non esse probabilia, nam utraque pari maturitate aut temeritate pronuntiantur.

17. At, inquit, Vasquez dixit opinionem Caictani & Navarri carere fundamento, non tamen dixit, illam esse improbabilem, nec sine offensione dicere poterat. Ergo Vasquez exercitè distinxit inter probabile conscientiæ, & probabile opinionem. Respondeo Vasquem non magis distinxisse inter *carere fundamento gravi, & non esse probabile*, quàm Logicus distinguit inter definitionem & definitum. Itaque quando dixit, sententiam istorum sibi videri carere fundamento, idem prorsus, & quidem paulò clariùs dixit, ac si dixisset, illam sibi videri non probabilem, quia certum est, Vasquem paulò ante definitivè probabile per hoc, quod est habere grave fundamentum. Ergo qui negat definitionem, pari ratione negat definitum. Sed quid? fuissetne offensionem magis obnoxium, si dixisset, opinionem illorum videri non probabilem? nullo modo: nam quando dicimus aliquid videri nobis non probabile, solùm negamus fundamentum grave, non omne fundamentum excludimus. Ergo dicere opinionem omni fundamento carere, plus est & magis offensivum, quàm dicere non esse probabile. Et sanè peto à Celladeo, an dari possit opinio probabilis, quæ careat omni fundamento? nõne si constaret, opinionem carere omni fundamento, eo ipso constaret, illam quoque non esse probabilem. Ergo impossibile est, opinionem alicui ulla ratione apparere sine fundamento, quin eodem modo tanquam non probabilis appareat; Ergo impossibile est opinionem dici carere omni fundamento, quin eodem modo dicatur esse non probabilis. Ego certè, quantum ad me attinet, non ægrius ferrem, si quis mihi diceret, *opiniones tuæ non sunt probabiles*, quàm si diceret, *opiniones tuæ omni carent fundamento*. Imo potius hoc secundùm ægrius ferrem, quia longè turpius est, hominem absque omni fundamento res effutire, quàm in fundamentorum qualitate decipi, atque leve fundamentum pro gravi proposuisse. Nec dubito, quin Celladeus ipse, maximè si præsentis asserti sui non recordaretur, tam ægrè aut ægrius laturus esset, si dicerem, illius assertiones omni prorsus fundamento carere, ac si dicerem, illas non esse probabiles.

18. Verùm instat Celladeus: Vasquez hanc probabilium distinctionem *dicit a quaest. 62. num. 17. quirit probabilitatem pro praxi quam pro speculatione* ne, signatè expressit, dicens, *non mihi videtur illa censenda probabilis ad hunc effectum, ut secundùm illam possim prudenter operari contra propriam & communem omnium sententiam.* Ergo Vasquez supponit eam esse probabilem ad alium effectum, puta ad non censurandum. Respondeo, Vasquem eo loco instar profundissimi Theologi valde cautè loqui; dixerat, *virum doctum licitè operari posse contra suam opinionem, & contrariam aliorum opinionem in praxi sectari, sed tunc solùm quando illa probabilis est.* Dein ponit casum, quo propria docti viri opinio sit communis aliorum omnium sapientum sententia, & contraria unius tantùm Doctoris singularis auctoritate nitatur. Tum loquens de hoc casu, hæc habet: *si talis opinio unius Doctoris, ex propriis fundamentis considerata, mihi non probatur, sed opposita, &c. non mihi videtur censenda probabilis ad hunc effectum, ut secundùm illam prudenter possim operari contra propriam & communem omnium sententiam.* Hæc est prudens resolutio doctissimi viri, qui in hoc per omnia benignæ sententiæ subscribit; ille enim videtur dicere,

Idem est
carere fun-
damento ac
esse impro-
babile.

Vasquez
non aliã
re
quirit pro-
babilitatem
pro praxi
quam pro
speculatione
ne,

dicere, nemini licere sequi opinionem, nisi illa sit ipsi certò probabilis. At opinio illa singularis non erat certò probabilis Vasqui in illo casu. Supponit enim ipse, se omnes illius Doctoris rationes examinasse, & non approbasse. Unde illæ non poterant haberi intrinsecè probabiles juxta propria Vasquis principia, quæ afferunt unam tantum contradictionis partem esse posse intellectui eodem tempore intrinsecè probabilem. Et sanè vix unquam evenire potest, ut rationes talis singularis Doctoris in tali casu ab eo habeantur certò probabiles intrinsecè, qui illis perfectis, ita movetur ad assensum alteri parti dandum, ut omnes omnino secum sentientes habeat. Ergo talis opinio non poterat haberi certò probabilis intrinsecè. Sed nec præsumi debebat tanquam certò probabilis extrinsecè, quia licet hoc præsumi possit, quando gravissimus & doctissimus vir asserit se novas ac peculiarias rationes habere, casu quo illæ rationes ad examen non veniant; si tamen, post debitum examen, ab omnibus, qui illas examinarint, rejiciantur ut falsæ, & multò magis si rejiciantur ut frivola, singularis illa auctoritas non reddit assertum suum certò extrinsecè probabile, ut fusè ostensum est in tract. de Consc. prob. quest. 6. per totam, maximè num. 57. & seq. Jam ergo Vasquez benè dixit, talem opinionem non sibi videri probabilem, ad effectum illam sequendi contra propriam & communem omnium Doctorum sententiam, quia talis opinio non est certò probabilis, ut patet. Quo non obstante, talis opinio manere potest probabiliter probabilis, quamdiu scilicet rationes singularis Doctoris non sunt rejectæ ut frivola. Itaque ita manet probabilis, ut facile censurari non debeat; hoc enim proprium est opinionis probabiliter probabilis, ut patet, quia solum certò improbabilia à moderatioribus hominibus censurantur.

19 Itaque certum est, Vasquem non distinguere inter practicam conscientiam & speculativam conscientiarum probabilitatem; distinguit verò inter certam & probabilem probabilitatem. Illam sufficere, hanc ad conscientiam securitatem non sufficere, saltem virtualiter tradit, in quo per omnia nobiscum sentit. Et sanè distinctio probabilitatis, qua Vasquez hinc uti videtur, æquè procedit in speculativis ac in doctrinis practicis, siquidem nemo certò prudenter ac probabiliter docere potest ac tenere sententiam speculativam unius Doctoris, cujus rationes ipse non probat, quamque omnes omnino, & ipse etiam, in mente sua falsam reputant. Ecce Vasquez nil dicit de probabilitate practica, quod probabilitati speculativæ per omnia non congruat, ac proinde frustra conatus est Celladeus tenebras offundere, ac persuadere aliam longè ex mente Vasquis esse probabilitatem, quæ pro formanda conscientia requiritur, quam sit probabilitas speculativa, quæ ad docendum & opinandum, non ad operandum dirigitur; cum certum sit, Vasquem docere, eam probabilitatem pro dirigenda conscientia, & ad tutò operandum, etiam contra propriam opinionem, sufficere, quæ ad rem ullam absque nota docendam sufficit. Rursus locus, quem ex Vasquez Celladeus affert, ipsius intento non favet, tum quia Vasquez, ut ex contextu patet, expressè supponit, unumquemque licet sectari posse opinionem trium vel quatuor virorum gravium, quamvis rationes illorum ipsi non placeant, & ipse cum aliis omnibus contrariam sententiam teneat. Hoc autem & assertis Celladei & totius ejus intento, quod ex Vasquez probandum assumpserat, P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

rat, repugnat; quia nil in hoc casu inveniet, quo practica probabilitas speculativam si peret. Ergo frustra & contra apertam veritatem contendit, quòd Vasquez ingens illud discrimen, quod ipse imaginatur, agnovit. Certum proinde est, Vasquem in nullo favere Celladeo, sed in omni apice benignæ sententiæ inharere, quam in propriis terminis tradit esse verissimam.

SOLVITUR OBJECTIO II.

Et modus certò sciendi probabilia fusius explicatur.

20. **O**BJECTIT secundò. Communis praxis formandi conscientiam eorum, qui probabilia sectantur, resolvitur in hunc syllogismum, vel illi æquivalentem: *Licet usus cuiuslibet opinionis probabilis: Sed omnes opiniones non notata librorum sunt probabiles: Ergo licet usus illarum omnium: sed hæc opinio est in libro, vel Summa, & non est notata & censurata ab aliis; sed Auctorem, vel Auctores habet. Ergo licet hic & nun illius usus, & illa utenda non peccabo.* Ita syllogizant, qui probabilia sectantur, & sic discurrunt: Major est communis omnium sententia. Ergò prudentissimè admittitur ut vera: Minor videtur eorundem auctoritate niti. Consequentia legitime deducitur, quæ proinde in omnium illorum auctoritate fundatur. Ergo prudenter admittitur ut vera. At conscientia per illam formatur. Ergo qui sequitur probabilia prudenter format conscientiam permittentem, & consequenter non peccat, si juxta illam operetur. Verùm qui sic discurret, manifestè errat, quia minor illa non est Auctorem, qui docent probabilia esse licita; illi enim non solum non docent illam propositionem esse veram, sed è contrario expressè contendunt, & apertè evincunt, illam esse falsam, si sermo sit de probabili conscientia, quamvis illa minor vera sit de alio genere probabilitatis. Ergo minor illa non nititur communi gravissimorum omnium auctoritate. Idem judicium est de consequentia, quæ semper sequitur debiliorem partem. Ergo conclusio ista caret omni ratione, & non fundatur in auctoritate tot & tam gravium Doctorum, ut sectantes probabilia turpissimè errando existimant. Ergo non prudenter, sed imprudentissimè formant conscientiam, ergo non excusantur. Idem argumentum valet, si pro minori prioris syllogismi ponas hanc propositionem, *sed hæc opinio est probabilis: nam peto ut scias hanc propositionem esse probabilem? si dicas, quia est in libro, vel Auctores habet, relaberis in priorem paralogismum.* Si dicas, Auctores illos dixisse eam esse probabilem, hoc rarò vel nunquam verum invenies, si de illis omnibus aut plerisque loquaris. Ubi enim omnes in particulari propositione probanda consenserunt? Quòd si in aliqua ejusmodi omnes fortè consensuerunt, id rarissimum erit. Quid autem dices de reliquis, in quibus omnes non consenserunt? Quid de opinionibus innumeris post mortem illorum exortis? Anne illi omnium etiam futurorum opiniones approbaverunt?

21. Nec dicas, te sequi opinionem, quam unus aliquis gravissimorum illorum Auctorem in eodem dicit esse probabilem & tutam; nam tunc tua minor & consequentia in sola illius, & non in communi omnium auctoritate stabit. Quia illi omnes apertè dixerunt, quemvis peculiarem Doctorem posse leviter & sine gravi fundamento opinari, non

Errat Celladeus in formando syllogismo, quo sectantes probabilia utuntur.

Alius ejusdem erroris argumento proponendo.

non viso aliquo, quod maximè videndum erat. Ergo habita unius illorum auctoritate, non solum non habes reliquorum auctoritatem, sed nec illius ipsius Doctoris reflexum & ultimum iudicium pro te habes. Præterea licet opinio, quam Auctor ille proponit ut tutam, probabilis esset, cum ille scriberet, quis dixit, illam etiamnum manere probabilem? nõne tam ille, quàm alii omnes dixerunt, opiniones ex probabilibus sæpe fieri improbabilis? Unde ergo nosti, hanc peculiarem opinionem ex illarum numero non esse? Hoc certè nec ex illius, nec ex aliorum auctoritate habes, cum illi omnes oppositum contingere posse supponant. Ergo illorum auctoritas non firmat minorem tuam. Ergo nec minor illa tua, nec consequentia ex illa deducta fundatur in auctoritate Molinæ, vel Suarii, aut alterius, cujus opinionem te sequi iactas, & multò minus in auctoritate omnium, qui dixerunt usum probabilium esse licitum, ut arbitrabaris. Itaque qui hanc regulam sequuntur, imprudenter & inconsideratè operantur, cum dictamen suæ conscientiæ in congruam Doctorum auctoritatem resolvere nequeant. Ita Celladeus.

Errores Celladei in hoc argumento contenti explicantur.

22. Respondeo, falsissimum esse, quod praxi formandi conscientiam eorum, qui probabilia iuxta benignæ sententiæ præscriptum sequuntur, resolvatur in syllogismum à Celladeo propositum, quia minor illa ut jacet, falsissima est, nec ab Auctoribus benignæ sententiæ asseritur, sed unanimiter ab omnibus rejicitur. Quod si hæc praxis tam communis sit, asserat Celladeus quatuor vel quinque Auctores, eiam minoris notæ, qui minorem illam absque limitationibus ullis, ut jacet, approbant, & ipsi credere incipimus. Verùm ille non tot, & fortasse nec unum sic loquentem inveniet; ac propterea frustra laboravit in improbanda minori, quam nemo tenet. Præterea in prima illa objectionis parte duos errores incurrit. Primus est, quod in sensu aliquo proprio admittat minorem illam propositionem esse probabilem, quæ tamen nulla idonea auctoritate vel ratione confirmari potest, per quam evadat probabilis; omnes enim unanimiter eam rejiciunt ut falsam & intolerabilem, si in sua universalitate sumatur. Secundus error est, quod insinuet, Auctores benignæ sententiæ agnoscere illam propositionem in aliquo sensu esse probabilem, quamvis non sit probabilis probabilitate conscientiæ. Verùm nullus eorum ullibi dixit, aut insinavit, propositionem illam in sua universalitate ullo modo esse probabilem, & Celladei est, ut dicti sui fidem faciat, aliquem saltem imo plurimos asserendo, qui hoc dicant. Præterea nemo illorum unquam distinxit inter probabile & probabile ex parte probabilitatis, sed omnes unam, eandemque pro omnibus probabilibus definitionem tradidit, quod certè non fecissent, nec facere potuissent, si existimassent, probabile esse æquivocum. Dixerunt illi, probabile esse quod nititur motivo, obscuro quidem & fallibili, magno tamen & gravi, quod mereatur assensum. Hoc autem æquè locum habet in practicis ac in speculativis; unde quidquid tali motivo nititur, illud est probabile; quidquid nullo aut minore solum motivo firmatur, non est probabile. Itaque probabilia ex mente Auctorum, qui de probabilitate scripserunt, non differunt ex parte probabilitatis, sed solum ex parte materiæ; quæ enim enunciant de licito, & non licito, ea sunt practice probabilia, & pro formanda conscientia deserviunt, quæ autem de aliis enuntiant, specu-

Auctores non iudicant probabile esse terminum æquivocum.

lativam probabilitatem habent. Hæc certa sunt, & repeti debuerunt, ut lemma æquocationum, quæ Celladeus sub hac distinctione à se conficta, & aliis absque fundamento attributa, jecit, eruantur, antequam radices in mente legentium agant.

23. Secunda pars objectionis non solum tangit aliquorum praxim, quàm Celladeus, si qualis sit, meritò & validè impugnat, sed etiam ipsam benignam sententiam ejusque pro praxi utilitatem impetit, quia nos in terminis utimur illa minori, sed hæc sententiæ probabilis est, & ex illa inferimus hanc pro formanda conscientia conclusionem, Ergo usus hujus sententiæ est licitus. Quocirca huic objectioni exactè respondendum esset, nisi responso evidenter pateret ex dictis in assertionum probationibus; nos enim nunquam subsumimus minorem illam, nisi certum sit & evidens, illam esse veram. Probabilitas enim opinionis debet esse certa, ut eam tuto sequamur in praxi. Scimus autem opinionem illam esse probabilem ex mente Auctorum illorum, quia scimus illam habere omnia, quæ Auctores illi ad probabilitatem requirunt, idque facillimè scitur in casibus innumeris, ut dictum est. Et quidem si sermo sit de auctoritate, quàm Auctores illi docent esse sufficientem, ut opinio sit & habeatur extrinsecè probabilis, res est clarissima, ut ex dictis in probatione assertionum constat. Porro maxima hominum pars per illam solam dirigitur, quia nequit discernere vim & energiam rationum, in quibus probabilitas intrinsecè consistit. Ergo maxima hominum pars per illorum sententiam facillimè dirigitur? si autem loquamur de probabilitate intrinsecè, cujus discernendæ soli Docti sunt capaces, illa etiam facillè scitur, si aut rationes incipiantur, aut consensus eorum, qui rem à fundamentis examinarunt, ante oculos habeatur. Si enim unanimiter agnoscant opinionem aliquam esse probabilem, quamvis multi illorum illam esse veram negent, illa, indubiè erit probabilis, & pro certò probabilis haberi debet, ut constat ex dictis in tract. de Consc. prob. quæst. 5. num. 29. & seq. & quæst. 6. per totam. Similiter eadem probabilitas facillè & certò à doctis scitur, quoties vident omnia in definitione probabilitatis posita illi convenire, quod in casibus innumeris facillè fieri potest, ut patet ex locis citatis, & quisque doctus, si habeat præ oculis illam definitionem, facillè videt.

Facillè scitur quæ opinio sit probabilis ex mente Auctorum.

24. Quod si sermo sit de peculiaribus opinionibus in aliqua materia determinata. v.g. Horarum Canonicarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, Contractuum, &c. plurima sunt opiniones, in quibus omnes, qui de illa re tractant, inter se conveniunt; innumeræ, quas omnes expressè dicunt, aut evidenter supponunt esse probabiles; illæ autem expressè censentur probabiles ab iis, qui de probabilibus egerunt, etsi de materia illa peculiari non scripserint, quia evidens est, omnes ejusmodi opiniones in definitione, quam de probabilibus tradunt, comprehendit. Idem valet de aliis opinionibus non ita communibus; si enim illæ tradantur à quatuor vel quinque Auctoribus præstantibus, qui materiam illam diligenter examinarunt, & probabilitas assertionis illorum ab aliis non revocetur in dubium, haud dubiè opiniones illæ & sunt & habentur probabiles ab omnibus, qui de licito opinionum probabilium usu diligentem disputationem instituerunt. Errat ergo & evidenter errat Celladeus, dum

Opinio potest esse certò probabilis, ex mente Auctorum, quamvis illi de ea nunquàm tractaverint.

dum putat particularem propositionem non posse esse certò probabilem ex mente omnium Auctorum benignæ sententiæ, nisi illi omnes in tali determinata propositione probanda signatè con- fesserint. Manifestè enim sufficit, si opinio illa habeat illa, quæ certè reperiri possunt in opinione, quam non omnes, imo nemo illorum in propriis terminis examinavit. Præterea eadem æquè con- veniunt futuris ac præsentibus opinionibus, ut patet, alioquin generales Theologorum regulæ, de metu cadente in constantem virum, aliisque ejusmodi rebus dignoscendis, ad nihil deservirent, cum nihil ex illis scire possimus, si Celladei observatio locum haberet, quia rarò aut nunquam evenit, ut factum particulare, de quo hic & nunc quæritur, ab ullo illorum, nedum ab omnibus examinatum fuerit. At, hoc non ob- stante, sæpè evidens est, casum præsentem sub dictis illorum comprehendì, eò quòd quidquid illi ad metum talem requirunt, in tali casu repe- riatur. Eadem autem ratio est de probabilitate, ut patet. Quæ cum adeo manifesta sint, mirum est, Celladeum ea non solum non vidisse, sed omnia contraria opinatum fuisse, atque, quod plus est, suam hanc imaginationem in prologo quaestionis 10. libri 1. manifestam veritatem appel- lasse, cum sit error manifestissimus, & falsitas illius palam demonstrata sit. Adeo in illum ipsum cadit, quod advertit aliquando in aliis contin- gere, ut ea non viderit, quæ maximè videnda erant, quæque ab omnibus mediocri doctrinâ instructis vix possunt non videri.

Mira Celladei deceptio.

Ostenditur qua ratione certificari possumus de probabilitate opinio- num.

25. Idem dico de eo, qui sequitur opinio- nem, quam in aliquo gravissimo Auctore invenit; minor enim, quam subsumimus, non in sola illius auctoritate fundatur (& licet directè lo- quendo in illa sola fundaretur, sæpissimè tamen illa sola juxta unanimem omnium sensum, qui reflexè rem considerant, ad certam & indubitam probabilitatem sufficeret) sed etiam in auctori- tate aliorum, quos citat; qui si sint tres vel qua- tuor, & rem à fundamentis examinarunt, illo- rumque opinio ab aliis ut improbabilis non reji- ciatur, eo ipso certi sumus, illam opinionem esse probabilem, non solum ob auctoritatem illorum paucorum, qui directè illam defendunt ut veram, sed reflexè ob auctoritatem omnium, qui

asserunt talem opinionem esse probabilem, & consequenter è numero earum, quarum usum docent esse licitum. Nec obstat, Doctores illos dixisse, non solum unum, sed sæpè plures Do- ctores turmatim & leviter subscribere alicui sen- tentiæ, atque sententiam olim probabilem eva- dere posse improbabilem, nam simul docent quando primum præsumi, & quomodò secun- dum sciri possit. Primum nunquam evenit, quan- do graves Doctores rem seriò & ex professo exa- minant, illamque post debitam diligentiam ve- ram habent; quando autem rem non ex profes- so, sed tantum leviter tractant, audiendi non sunt, si quando contra communem eorum, qui rem à fundamentis examinarunt, opinionem sen- tiant, nisi validissimas, & ab aliis non pondera- tas rationes asserant; in rebus verò ab aliis non tractatis, eorum consensus semper præsumitur probabilis, & talis est, quamdiu nil affertur in contrarium. Quod si alii postea repugnent, & ostendant eorum rationes, novis solutionibus adhibitis, non concludere, aut eos ex ignorantia alicujus Decreti, vel alterius principii fuisse de- ceptos, tum statim prior probabilitas, ejusque præsumptio cessat, quia jam aliquid affertur in contrarium, quod antea post diligentiam debi- tam latebat. His aliisque similibus viis scire pos- sumus, an & quando opinio suam probabilita- tem perdat. Hoc stabilito, Celladei illatio est prorsus nulla, quia minor, quam subsumimus, semper est evidens, illiusque evidentia sæpè di- rectè scitur ex eorundem auctoritate, qui do- cent usum probabilium esse licitum. Sed si directè ex illorum auctoritate, si indirectè, ex discursu comparante opinionem cum requisitis quæ illi ad essentiam probabilitatis postulant, veri- tatis minoris certò innotescat, parùm refert, quia semper conclusio eadem quæ major probabilitate gaudet. Illa autem est probabilissima. Ergo qui hanc regulam sequuntur, consideratissimè ac prudentissimè operantur; quia conscientia suæ dictamen in communem omnium peritorum sen- tentiam resolvunt. Quod si quis cupiat exactiùs & magis in particulari scire, quænam opiniones sint & sciri possint esse certò probabiles, legat quæst. 5. & 6. de Const. prob. In illis enim exactam totius hujus rei declarationem inveniet.

Nullitas il- lationis Cel- ladei.



O 3

QUÆ